ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Sic sane oportuit, mi Barlaee, ad alios cum scriberes,
ad me ut sileres, et quem tardissimum responsorem expertus esses
solo denique nutu compellares. Ad eum mihi accidit, cum Poematum
tuorum exemplar silentio transmisisti: quod ut novum fuerit à
scriptore tam sedulo, miratus ab amico tam neglecto non fui; quin
mirer illud potius, quod tantae socordiae reum de censu amicorum non
expunxeris. Ipse quidem fateor nil meruisse minus; sed cuius summa,
cuius cum summa iniuria quam breve confinium sit nunc maxime
ut recorderis rogo. Scilicet hominibus meae sortis, τοῖς, inquam,
ἐπὶ [illegible], aliquid condonet oportet, qui perpetuo succensere non
velit. Ita enim alterius sumus, ut, cum nostris esse vacat
(vacat autem rarissime) dirupta sibi natura libertatem animi
vel non agnoscat plane, vel sibi carptim ut applicet adduci non
potest. Vide quo redacti sint res nostrae: quas bonorum omnium
exemplo subsecivas olim horulas occupationibus detrahere solebamus,
nunc qua ratione vel succidendae sint dedidicisse videmur, et
quod pridem in quiete otium fuit, id nunc impenditur ut,
ratione subducta, diem unum otiati; diem unum totum egerimus
nihil. Quamquam, nisi Hagae habitemus, tam prolixe feriari omnino
non datur. Sed feriari me arguis, qui hic tam otiose —

Pap. 2

© Universiteitsbibliotheek Leiden
PAP 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/389

persequar. Non prior tamen, mi Barlæe, sed simul tandem
otiorum tibi et negotiorum meorum ratio ut constaret, omnis
æquitas postulavit. Quo facto, quem ignaviæ etiam meæ tribuas
non nihil, nullus intercedo. Nam, ut nuper scripsi ad te
meminj, qui scribendi aut loquendi inter nos libertatem sustulerit,
ad me quod attinet, sciat, vim se facere ijs amicitiæ privilegijs
quæ sine cuiuspiam offensione hactenus cum amicis usurpo.
Scribo itaque non ubi vacat respirare, sed ubi maxime collibuerit,
et, ut libentiss. ea lego quæ sponte suâ, nec ullo foris impulsu,
ad me amici scribunt, rogo te ante omnes, ut libenter à me
non legas, nisi quæ elapsa potius mihi quam expressa videris.
De illo genere literarum hæ sunt, quas quadam hodie cum
voluptate scribo ad florentiss. tuum scriptorium, qui adeo me
recenti Carminum tuorum lectione succendisti, ut mirum sit
imperasse me prosam orationem stilo tam furenti.
De hac editione tua dum sermo nunc est, scito in ea me,
post menda Typographi, adscribere etiam auctoris erratum
unum. Id reperies libro Heroicorum pagg. 34. et 35. quæ
tantâ sui parte vitiosa sunt ut, meâ non sententia solum,
sed et auctoritate, insigni Θ. compungendæ sint. DELE, inquam

ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

TOTUM, inde à linea xa. unius ad alterius xva. Nam quis te diorum eo imprudentiae adigit, ut politissimo libro tam infamem maculam adspersam velles? At fuit sane cur velle posses, Barlaei, fateor, illustrandi; nimirum loci tui à mendis liberi. Sed si ita est, ignosco iterum, ac deleo censuram. Velle me et fuisse quacunque ratione expedire credis. Ego illi tantam amicitiae libertatem professus, iniurius sim, si quidquam prior derogando. A castigatione denique libri ad laudes transeundum, nisi tantas mereretur, ut par effundendis non sim, vel tantillas effundere possim ut par effundendis tua fiat modestia. Facio itaque hic finem, et, si verbum addendum est, publico tibi nomine gratias ago, quod nobilem thesaurum indignissimo saeculorum tamen non invideris. Ad Genethliacas litteras tuas, quarum eruditissimam elegantiam passim cum eruditionis et elegantiarum, quotquot sunt, cultoribus communico, nihil tandem regero, nisi quod insignem in iis erga me meosque affectum tuum fronte citra cunctam exosculor, ac tantae humanitati valde me obstrictum sentio. Pluribus nunc non vaco, ne quidem per te ipsum, qui iucundissima lectione novâ totum studium occupasti. Vale vir doctissime, et immeritum licet amicum, certe nec ingratum nec immemorem amare perge. Hag. Com. postrid. Cal. Apr. CIƆIƆCXXVIII.

Tuus
Huygens.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
PAP 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/389

© Universiteitsbibliotheek Leiden
PAP 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/389